



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Quomodo Ecclesia potuerit impedimenta matrimonij statuere, cum
sit Sacramentu[m], in quo nihil ipsa mutare potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Nouum impedimentum dirimens ex Concil. Trident.

Præter hæc impedimenta Iuris antiqui, est nouum quoddam inductum à Concil. Trident. scilicet *Contractus clandestinus*, hoc est, sine Parocho & duobus testibus; quod olim solum erat impediens, non dirimens; de quo infra c. 13.

DVBIVM II.

Quomodo Ecclesia poterit impedimenta Matrimonij statuere; cum sit Sacramentum, in quo nihil ipsa mutare potest?

131

Respondeo, & Dico Primò: Fide tenendum est, Ecclesiam posse impedimenta dirimentia constituere. Definitum est in Concil. Trid. sess. 24. can. 3. & 4. ubi dicitur anathema ijs, qui negant Ecclesiam posse matrimonij impedimenta constituere.

Potest id ex ratione Materiae, & ratione formæ.

Dico Secundò: Ecclesiam id potuisse duplici ratione; nempe, quia contractus matrimonij, quatenus est contractus ciuili, duplici modo Ecclesiæ subest; scilicet ratione materiae, & ratione formæ.

Probat hoc ex alijs contractibus, qui pari modo sub sunt humanæ potestati: ergo sicut in alijs contractibus possunt præscribi certæ formulæ & solemnitates, sine quibus si fiant, irriti censentur; ita etiam in matrimonio: & sicut possunt res ipsæ decerni inhabiles, vt in hos vel illos transferantur; ita etiam personæ decerni possunt inhabiles, vt cum his vel illis contrahant.

Confirmatur Primò: Quia id fieri potest in contractu venditionis, siue quo quis sese alteri in perpetuam seruitutem tradit; cur non etiam in contractu matrimonij, ubi quis corpus suum tradit in alterius potestatem?

Confirmatur Secundò: nam inter Ethnicos fuerunt leges matrimonij ab Imperatoribus Ethnicis latæ; vt patet ff. De Ritu nuptiarum & Codice Ad legem Iuliam, de Adulterijs; quod signum est contractum matrimonij subesse legibus humanae dispositionis, sicut alios contractus.

Nec obstat, quòd Matrimonium sit Sacramentum; quia Dominus nihil in eo mutauit, vt est contractus ciuili, sed reliquit in sua natura, adiunctâ dignitate Sacramenti, & gratiæ efficaciam: vnde nõ determinauit inter quas personas hic contractus deberet censerì legitimus vel illegitimus, quâ formâ, quibusque solemnitatibus esset cõtrahendus; sed hoc reliquit iuri naturali & humano. Vide Couar. 2. parte, cap. 6. §. 10. nu. 33. & 34.

DVBIVM III.

Utrum potestas ciuili possit matrimonio impedimentum dirimens constituere?

132 Non potest id Christianorum Princeps.

Respondeo, & Dico Primò: Secluso omni iure Ecclesiastico potest ciuili potestas huiusmodi impedimenta sancire. Verum quia Ecclesia hoc ius sibi assumpsit, tanquam necessarium ad regimen spiritale, nempe eò quòd Matrimonium per Christum factum sit res spiritualis, utpote Sacramentum; ideo apud Christianos potestas ciuili hæc nihil potest statuere. Quare, si Princeps secularis prohiberet aliquod matrimonium inter eos, quibus nullum est Canonicum impedimentum, vetatio illa nullam vim haberet.

Dico Secundò: Principem Ethnicorum, seu non Christianorum, siue is Ethnicus sit, siue Christianus, posse constituere impedimenta, quæ matrimonium dirimant. Ratio est: tum quia potestas Ecclesiastica, quæ sibi hoc ius seruare potuit apud Christianos, non extendit se ad Ethnicos, 1. ad Corinth. 5: tum quia matrimonium apud Ethnicos non est Sacramentum, aut res spiritualis, sed nudus contractus ciuili, ac proinde ciuili potestati subiectus.

Potest id non Christianorum Princeps.

DVBIVM IV.

Quis possit in Matrimonij impedimentis dispensare?

Respondeo, & Dico Primò: Pontifex in omni impedimento matrimonij, quod Iure positiuo humano introductum est, validè dispensare potest. Ratio est; quia in ipso est plenitudo potestatis Ecclesiasticæ. Vnde quidquid per potestatem Ecclesiasticam potuit constitui, potest etiam Pontificis potestate in totum vel in partem abrogari.

Papæ potest absolute.

Dico Secundò: Episcopus ordinariè non potest in impedimentis dirimentibus dispensare: quia non potest quemquam à lege superioris eximere, nisi Iure vel consuetudine id ei sit concessum. Probabile tamen est posse in certo euentu, nempe his quatuor conditionibus concurrentibus. Primò: Si Matrimonium publicè & bona fide, saltem alterius partis, contractum sit. Secundò: Si impedimentum est occultum. Tertio: Si separatio futura esset scandalo. Quarto: Si ad Pontificem, vel ad eius legatum, qui potestatem habeat, non pateat accessus, ob paupertatem vel alia incommoda. Verbi gratia: Petrus bona fide contraxit cum Catharina in facie Ecclesiæ, tamen ante contractum, cognouit sororè Catharinæ, vnde factus est affinis Catharinæ in primo gradu, quæ affinitas est impedimentum dirimens. Vnde quando contraxit cum ea, matrimonium fuit nullum: sed ipse in contractu nesciuit esse impedimentum, & solum id post aliquot annos susceptis iam liberis intellexit, vnde etiam videt matrimonium fuisse inualidum. Sed propter paupertatem, vel aliam causam legitimam non potest accedere Pontifici. Neque etiam potest fieri separatio à coniuge, quia nasceretur magnum scandalum, vel saltem ingens illorum & prolium infamia. Dico in hoc euentu Episcopum posse dispensare in hoc impedimento. Ita Nauarrus cap. 22. num. 82. Siluester verbo Dispensatio n. 15. Angelus eodem verbo n. 5. Bartholomæus Fumus eodem verbo nu. 19. Alphonsus Vivaldo de Matrimonio num. 248. Ratio est: quia in tali casu per quandam *irretaxiam* censetur Pontifex tacito consensu Episcopo dare potestatem: non enim credibile est, suam Sanctitatem velle illas animas peccatis illaqueari, vel scandalum nasci, vel infamiam incurri, præsertim quando bona fide, saltem alterius partis, contractus est celebratus.

Episcopus non potest nisi in casibus quibusdam.

DVBIVM V.

Quid faciendum est, si matrimonium cum impedimento contractum fuerit?

Respondeo, & Dico Primò: Si hoc impedimentum fuerit vtrique, vel alteri in contractu,

134